Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1945
Quelle:
Copyright:

mones XV. Ogerii sive *Oglerii Abb. Lucediens. de Sermone in ultima Coena*, qui extant in Edit. *Opp. Maur. Bernhardi* T. V. *col.* 597. et a me non jam semel sunt relati. Nos censemus *Sermones* XIV. licet *tres* primi desint in Codice, cujus ratio est alia divisio. Initium nobis fit a *Sermone* IV. *Verbum Dei quanto amplius ruminatur, tanto dulcius incipit sapere* &c. Neque elocutio ubique sibi constat.

IX. *fol.* 382. Brevicula quaedam: 1) *Solutio Questionis domini Joh. polamar Auditoris missa de Concilio Basilien. contra Hereticos in Boemia Specialiter contra archihereticum seu heresiarcham qui dicitur Rokaczan Sub Anno domini M° CCCC° XXXVII°.* Init: *Interrogasti me. An communio sub vtraque specie per se naturaliter bona sit.* &c. Captiosam vocat Quaestionem, et aliam retorquet: *An fructus arboris illius in quo nostri primi parentes peccauere, naturaliter bonus fuerit?* eaque bene ad propositum deducta directe respondet Textui: *Nisi manducaveritis — et biberitis*, obponendo Textus: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me*, et: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Demum concludit *Utraquistas Jonathae* mel gustanti acute comparando. De Autore in Historia Concilii *Basil.* satis noto, et a me saepe in his *Commentariis* memorato videri possunt *Scriptt. Univ. Vien. Sec.* I. p. 103. et *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* v. *Johannes.* 2) Epistola *Lentuli Romani* ad Senatum de *Christo.* Init: *Apparuit nostris temporibus* &c. Extat verbis paullum diversis apud *Fabricium* in *Cod. Apocrypho N. T.* P. I. p. 301. νοθείας merito damnata. 3) *Sequitur litera Poncii Pilati de eodem missa ad Claudium.* Init: *Nuper accidit quod ipse probaui* &c. Est *prior* apud *Fabric. cit.* ejusdem fuufuris p. 298. 4) *Priuilegia Sacerdotum in Egipto tempore Joseph.* Loca tria e *Genesi* et *Deuteronomio.* 5) Formula *Tituli*, ut vocant, *Mensae* Clericis in Dioec. *Patav.* dandi.

X. *fol.* 384. *Responsio Sanctissimi domini Pij pape* (II.) *ad Boemos oratores ad instanciam Heretici Gyersik* (Georgii Podiebrad.) *tunc pretensi regis Boemie. Anno domini* 1462. Initium est: *Superioribus diebus cum audiuissemus* &c. Redibit inter Codices *Synodicos*, ubi plura de illa.

XI. *pag. ult.* Brevis Relatio ita inchoans: *Anno domini eodem scilicet 1462. Imperator turcarum misit de Constantinopoli ciuitate Domino pape supramemorato cum magno apparatu et auro atque argento caput sancti Andree apostoli usque ad Romam, quod et summus Pontifex cum multo clero honorifice suscepit.* Caussam missionis fuisse subitam omnium Turcarum mortem, qui ausi fuissent Sacrarium ingredi, in quo apud *certos Religiosos* Caput istud servabatur. Res vera falsis adjunctis vestita. Apostoli Caput impetravit *Pius* a *Thoma Peloponnesi* Despota, qui illud *Patris Ancona*